

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9436

Auteur(s) : Juhel III, Mayenne (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1168-1200]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Juhel de Mayenne confirme le don de Riulf de Landivy au Teilleul et les transactions qui ont eu lieu.

Tableau de la tradition

Original

A. Paris, Arch. Nat., L 974, n° 926.

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Cenomanensi, n° CXIV)

Texte d'après A

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit Juhellus dominus Meduane salutem. Vestra noverit unoversitas quod Riulfus de Landavico miles dedit et concessit Deo et abbacie Sancte Trinitatis de Savigneio et monachis ibidem Deo servientibus in perpetuam elemosinam quicquid habebat in Thelleio videlicet masuram videlicet Galterii de Thelleio quam tenebant Willelmus Galteri, Ricardus Galteri et Fromundus filius Willelmi, masuram quoque Petri Hervei et masuram Bernerii quas idem Petrus Hervei tenebat, masuram etiam Rogerii Leporis quam tenebat Radulfus Rogerii, masuram etiam de Ailleharderia quam tenebat Willelmus Aillehart, Odo Aillehart, Robertus Aillehart et Rocherel et preter hoc totam terram de la Morenesche cum pratis ad easdem terras pertinentibus et cum prenominati Aillehardi, Willelmus, Odo et Robertus hereditarium habent in predicta masura Ailleharderia et in quarta parte de la Morenesche ipsi renuntiaverunt toti juri suo et illud abjuraverunt in abbacia Savigneii coram Willelmo Peldelou milite meo quem ad hoc ipsum miseram et multis aliis. Abbas autem et monachi Savigneii tantumdem terre eisdem Aillehardis tradiderunt in parrochia Savigneii videlicet XIII acras hereditarie tenendas reddendo inde annuatim ipsis monachis XIII solidos Cenomannesium in festo sancti Remigii, et sciendum est quod Radulfus Ernaldi et filii ejus Johannes et Herveus et Osanna filia ejus et Osana uxor Willelmi Castaig et filii ejus Petrus, Moricius, Radulfus, Ranulfus, Gaufridus et Petrus filius Roberti Toscherene omnes isti renuntiaverunt toti juri suo quod habebant in tribus partibus de la Morenesche et illud abjuraverunt. Pro hac renunciatione et abjuracione memoratus Riulfus dedit eis XXX solidos Cenomannensium Petrus autem Roberti qui habebat III solidos in masura Radulfi Rogerii illos tantummodo de manu monachorum recipiet donec illi in terra assignentur, et si conversus fieri voluerit illi tres solidi quieti erunt. Has supradictas terras sitas in Teilleio in parrochia Landavici scilicet in Teilleio cum pratis ad eas pertinentibus dedit et concessit predictus Riulfus concessione Juhelli filii et Aales filie sue pro salute anime sue et antecessorum et heredum suorum Deo et monachis Savigneii in perpetuam elemosinam liberam et quietam nichil juris sibi aut heredibus suis in eis retinendi, excepto

quod de masura de Ailleharderia et de la Morenesche recipient ipse Riulfus et heredes sui de manu monachorum in denariis legitimum servicium quod de illis duabus terris ad dominum Meduane et ad dominum Landavici pertinebit, donec ipsi monachi libertatem et quietanciam ipsius servicii a domino Meduane et a domino Landavici possint impetrare. Prefatus autem Riulfus et Juhellus filius suus et Aales filia sua super sancta juraverunt quod nichil juris ulterius in terris predictis sibi aut heredibus suis vindicabunt et si aliquis inde eosdem monachos molestabit ipsi et sui heredes dictas terras pro posse suo ipsis monachis cum expensis eorum garantizabunt postea. Hec omnia supradicta coram me in curia mea recordata sunt et firmata ego vero ea rata habui et concessi, etiam Riulfus et Juhellus filius suus et Aales filia sua affidaverunt coram me in manu Hamelini de Ineio militis quod hec supradicta fideliter observaret. Monachi autem Savigneii attendentes eorum devotionem et bonam voluntatem erga domum suam dedrunt eidem Riulfo et coram me persolverunt LX libras Cenomannensium et Juhelli filio suo equum unum et Aeles filie sue V solidos Cenomannensium. Ut ergo predicta Riulfi donatio et mea concessio perpetuam obtineat firmitatem eam presentis scripti testimonio et sigilli mei munimine confirmavi. Testibus his Willelmo de Logis priore, Hugone de Meduana, Robert ode Molete, Ricardo Bastart, Hugone de Croilleio monachis, Gervasio de Corseisier, Hamelino de Isinneio, petro Anglico, Hamelino Ferrant et multis aliis.